



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Vita Ioannis Berchmanni Flandro-Belgæ Religiosi  
Societatis Iesv**

**Cepari, Virgilio**

**Antverpiæ, 1630**

Vilissimis officijs delectatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46083](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-46083)

dormiat, à primâ somni horâ vsque ad extre-  
mam; nec priùs experges fieri, quām quā horâ  
vigilandum sibi foret, quantumuis magno  
strepitu concitato.

Manè igitur perpetuò audiebat surgendi  
è lectulo signum, ratusque vocari se à Deo,  
respondebat: *Domine, quid me vis facere?* <sup>Vilissimis  
delectatur  
officijs.</sup> tum vestiebat sese. Excitatoremque consuetâ  
nobis formulâ *Deo gratias* apprecaitem, re-  
salutabat liberalius verbo uno: *Semper Deo  
gratias.* Vilissima domus officia singulari vo-  
luptate administrabat. Frascatam missus ad  
subseruendum cærimonij Hebdomadæ sa-  
cratoris, mox vltro domesticis gradibus ex-  
purgandis operam dedit; ceterorum post se  
aduentantium calceos, luto sordibusq; asper-  
fos, clanculum extersit; rogatusque à quo-  
piam (quem fallere non potuerat) cur id fe-  
cisset; modesto risu responsum declinavit.  
Extra dies geminos quibus hebdomadatim  
in triclinio operam suam locabat, cum binos  
præterea à Ministro concedi sibi flagitasset,  
obtinuit scilicet, ampliusque inediæ diebus  
omnibus ad auferendam vesperi mensam  
aduentabat.

Incredibile, quantâ sollicitudine partitis  
sibi mensis seruiebat: nam vt oculis parcissi-  
mè indulgeret, illud tamen sagacissimè prouidebat,  
ne quid deficeret accumbentes. Illis  
verò

verò haud paullò ministrabat libentiùs , qui publicis defuncti laboribus seriùs in triclinium veniebant : sub initium finemque seruendi, ad orandum in genua se submittebat, postremus ferè ministrorum triclinio excedere consuetus.

Sabbati diebus omnibus manè ac vesperi in culinâ eluendis lancibus operam nauabat: deprehensusque à Rectore inseruire mensæ frequentiùs, cùm id ei vetaretur, tam alacriter desijt, quām promptè anteà ministrarat. Non possum non referre hoc loco rem & à nostris domi , & ab externis sæpiùs obseruatam ; nimirum Ioannem , finito anterioris mensæ ministerio, solitum in templum venire ad venerandam sanctissimam Eucharistiam , interuallo illo quod inter priorem alteramque interest mensam; ac tum si signum prandij daretur cùm aut curuare genua cœpisset, aut incuruasset, abruptâ statim aut intermissâ genuflexione, ad triclinium redire, diligentissimè notatum: adeò promptè exalteque legibus parêre consuerat . Nemo *publica in*  
*triclinio*  
*demissionis*  
*exercitia-*

Scholasticorum illo frequentior aut publicas in triclinio poenas de seipso sumebat, aut demissionis mortificationisque specimen dabant. Septimanis singulis pannosâ lacernâ aut veste suâ genus aliquod humilioris exercitationis publicè edebat , salubri multorum exem-